


DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE HÆMORRHOIDE.



2

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HÆMORRHOIDE.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS LOW,
FIFENSIS,

Societat. Chirurg. Obstetric.
Soc. Extraord. et Praeses Annuus;
Nec non
Soc. Physic. Americ. Sodalis.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Viro ornatiſſimo,

JOANNI HILL, LL. D. F. R. S. E.

LIT. HUM. IN ACAD. EDIN. PROF.

Ingenii acumine ad ſtudia ſubtiliora accommodato,

Et

Ea animi benevolentia quae, notis ignotiſque ſeſe oſtendens,

Omnium amorem conciliat,

Pariter inſigni:

Atque

Literis elegantioribus,

Quae mentem acuunt ſimul et ornant,

Doctiſſime erudito;

Viro etiam praeclaro,

JACOBO GREGORY, M. D. F. R. S. E.

MED. THEORET. IN ACAD. EDIN. PROF.

Scientia literiſque ita inſtructo,

Ut veritatem

Viribus ingenii, et ſumma animi liberalitate,

Indagatam, mira cum arte diſcipulis ſuis commendat,

Et

Famam meritis quaeſitam, Paternae etiam aemulam,

Suſtinet atque auget;

Haſce ſtudiorum primitias,

Ea qua par eſt obſervantia,

D. D. DQ.

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

HÆMORRHOIDE.

VARIOS inter morbos quibus miseri mortales sunt obnoxii, eminent haemorrhagiae; et in omni seculo merito omni attentione dignae sunt habitae. De methodo medendi autem, et de theoria hujus morbi, multum inter sese discrepant medici. Quoniam de aliquo quod medicorum est scribere oportet, de haemorrhoide pauca disserere mihi visum est; cumque definitio celeberrimi Professoris nostri omnium mihi optima videtur, eandem hic profero.

DEFINITIO.

Capitis gravitas vel dolor; vertigo; lumborum dolor; dolor ani; circa anum tubercula livida dolentia, e quibus

 plerumque

plerumque profluit ſanguis, qui aliquando etiam nullo tumore apparente ex ano ſtillat.

MORBI HISTORIA.

Morbus hic interdum una cum pyrexia impetum facit, nonnunquam vero nullo ſigno febrili comitanti.

Dolor obtuſus ſaepius in perinaeo, lumbis, ſpina dorſi, et circa anum, malum praenunciat; frequens, ad alvum dijiciendam, ſtimulus adeſt; frigus et rigiditas interdum membra occupant.

Pulſus fit durus, validus, et frequens. Urina pallida, nauſea aliaque pravae concoctionis ſigna interdum adſunt. Sanguis miſſus ſuperficiem coriaceam albam, ut in aliis morbis quibus inflammatio ineſt, oſtendit. Manent ſymptomata haecce tres vel quatuor dies. Nonnunquam vero materies quaedam mucoſa hujus morbi ſignum eſt; nec dies aliquot poſt morbi deceſſum deficit. Cum vero locum haemorrhoidum ſupplet, haemorrhois alba vocatur.

Quum vaſa ſanguinem, vel ex dilatatione vaſorum exhalantium, vel ex ruptura ſanguinem ducentium, in telam celluloſam juxta inteſtinum rectum ſtillant; tumores colore livido circa anum exoriuntur[a]. Hi compreſſi veſiculae inflatae ſimiles ſunt; ſanguis autem in telam celluloſam effuſus tunc coagulatur, nec preſſui cedit. Hi tumores

[a] Forreſtus de ani affectionibus.

mores dolore levi tantum, ad morbi initium, aegrotum afficiunt; intumescentes autem cutem turgidam et inflammatam reddunt, dolores acerrimos, sese ad intestinum rectum diffundentes, musculumque ani sphincterum irritantes, gignunt.

Omnia haec symptomata quum alvum dejectum itum sit, vehementer ingravescunt, [a] interdumque convulsiones, animique deliquium producunt.

Qui de hoc morbo scripserunt, multum obscuritatis intulere, ex similitudinibus ineptis, et quae rei sua natura perspicuae minime prosunt. Cutis enim varie dilatata, varias adsumit formas, et nihil ad rem attinet, rebus diu cognitis, nova imponere vocabula. Cum cutis praedura fit interdum, gignitur abscessus [b]. Pus etiam inclusum, per telam cellulosam et per adipem, cujus magna vis illic sita, sursum sibi viam aperit, et exinde in visceribus intra pelvem symptomata minitantia oriuntur. Tum gravitate et dolore recti circa extremum aegrotus est oppressus, et nisi naturae cito succurritur, fit fistula, quae schirri et carcinomatis formam saepe adsumit.

[c] Quum mariscae extra anum sitae dirumpuntur, multum sanguinis fere nunquam ex vulnere profluit; cito contrahitur cutis; sanguis vero ultra quintum sextumve diem raro fluit; interdum autem, post cutis contractionem, tumores de novo repullulant. Mariscis diruptis, dolores fere omnino abeunt.

Sanguine effuso, tunicam inter intestini recti cellulosam et villosam, tumores raro permanent. Dolor tum interdum

[a] Praelect. celeb. Greg. sen.

[b] Praelect. celeb. Monro.

[c] Ibid.

dum leviſſimus eſt, ſaepius autem, partibus faecibus irritatis, acerrimus.

Tumoribus internis diruptis, ſanguinis profluvium non ſemper immodicum eſt, et tunc tantum ſeſe videndum praebet cum aegrotus alvum exonerat; interdum vero effuſione minime reſiſtenda, quae alia ſecum mala adfert, aegrotus de medio tollitur.

Haud raro quaedam inteſtini recti pars ex ano elabitur, et, propter contractionem ſphincteris recti, ſtrangulatur; exinde gignuntur tumores haemorrhoidales, qui anum ut annulus circumdant.

DE SYMPTOMATUM RATIONE.

In hac, ſicuti in multis aliis haemorrhagiis, antequam ulla ſanguinis eruptio fiat, plethora corpus eſt oppreſſum gravitate, dolore, et capitis vertigine, ſaepe laborat aeger —ſymptomata quinetiam, non modo ab ſanguinis toto in corpore vi adaucta, verum etiam circulationis in capite natura, magna ex parte pendet. Sanguis enim in ſinum longitudinalem profluens, curſu minime citato impellitur, nec eodem modo fluit in eum, quo in caeteras corporis partes diffunditur. Vaſa etiam dilatari nequeunt, et vi muſculari inſuper, quae ad curſum accelerandum plurimum valet, carent. Iſta etiam ſymptomata, prout corporis habitus irritabilis eſt, ingraveſcunt.

Cepha-

Cephalalgiam non ſemper a plethora originem ducere ſatis patebit, ſi ad menſes animos pauliſper tantum attendamus. Nonnullae foeminae, plethora nequaquam oppreſſae, cephalalgia, et ante et poſt menſium eruptionem, valde affliguntur. Aliae vero humoribus multo magis abundantes, capitis dolore hac tempeſtate omnino carent. Cephalalgia porro opium[a] adhibendo ſublevatur, quod fieri haud poteſt, ſi ex ſanguinis plethora omnino penderet. Ex talibus igitur ſymptomatis, quamvis gravibus, nihil certi de profluvio orituro colligendum eſt.

Lumborum gravitas vel dolor, eruptionis futurae ſaepe index apparet. Symptoma iſtud, e vaſis inteſtini recti plus ſolito diſtentis, exoritur; quumque inteſtina admodum ſunt irritabilia, dolorem acerrimum fieri oportet.

DE DIAGNOSI.

De haemorrhoidum externarum diagnoſi, longius diſſerere haud opus eſt; nemo enim ubi partes inſpectioni ſubjiciuntur morbum neſcire poteſt; at haemorrhoides internae non tam facile dignoſcuntur. Si ſequentia obſervamus, vix falli poſſumus.

[b] Tumore intra anum facto, ex coarctatione, vel faeces induratae compreſſae vel ſulcatae ſunt. Iſta autem diagnoſis nequaquam eſt certiſſima. Recti enim ſcirrhus non facile

[a] Prim. Lin. celeb. Cullen.

[b] Forreſtus de ani affect.

facile dignoſcendus eſt; et ſpeciem haemorrhoidis aliquando praebet [a]; qua etiam medici periti falluntur. Perdunt operam qui, ſcirrho recti, remedium adhibere tentant. Immittat igitur digitum medicus, et partes ſumma cum cura exploret, ne error illi incauto obrepat.

[b] Recti intra extremitatem aeger oppreſſus, quaſi nucem vel globulum, titillationis cauſam, ſentit. Tumoribus diruptis, dyſenteria et haemorrhois, morbi inter ſe ſimiles, ita dignoſcuntur. In illo faeces ſanguine ſunt tantum imbutae [c], in hoc vero permiſtae; vis ſanguinis porro non parva in haemorrhoide dejectiones ſequitur; alvi quoque tormina minus acria ſunt, faeces etiam dejiciuntur. In dyſenteria autem profluvium mucoſum loco faecum eſt, et alvo adſtricta, faeces, modo medicamentis catharticis, dejiciendae ſunt. Dyſenteriam pyrexia plerumque non levis, haemorrhoidem vero leviſſima, immo ſaepius nulla, comitatur. Quo diuturnior dyſenteria, eo citius aegroti vires deficiunt; in haemorrhoide vero, fluor modicus aegroto etiam prodeſt. Dyſenteria, cujus contagio ſaepe cauſa eſt, frequentiſſime, apud nos, menſe Julii vel Auguſti ſeſe oſtendit: haemorrhois autem contagione minime vulgata, omni tempeſtate impetum facit. Inter medicos verum haud conſtat utrum tumores ſemper hunc morbum comitentur, an exhalantium dilatatio nonnunquam huic morbo praebet originem [d]. Ex diſſectionibus abunde patet, ſanguinem ex inteſtinis, nequaquam ulceribus aut tumoribus affectis, effluere.

In

[a] Morgagni de cauſis et ſedibus.

[b] Forreſtus de ani affect.—Juncker.

[c] Illuſtr. Cullen in Prim. Lin.—Sydenham.—Juncker.

[d] Sir John Pringle's army diſeaſes.

[a] In haemorrhoide, praesertim cum fluor immodicus sit, vultus colore alias subflavo alias subviridi [b] perfunditur. Hoc ex symptomate solo morbus interdum dignoscendus est, urina quoque rubicunda sedimentum lateritium deponit. Ut morbi sedes ab recti extremo distat, et ut vasa dehiscunt, sanguis species diversas praebet [c]. Dignoscere haemorrhoidem intestini recti inflammatione, symptomatis eisdem utrumque morbum comitantibus, haud semper in promptu est. Febris acuta, recti inflammationis comes, dummodo acris sit, unica fere diagnosis est. Anceps vero interdum haec diagnosis; quoniam mariscae turgidae eadem symptomata edunt. Urinae suppressio ambobus communis est; nec operae pretium est diagnosin morborum exquirere quibus iisdem remediis obviam eundum est.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Homines qui humoribus abundant, quibus corpus laxum et statura procera est, qui sole sub ardente vitam degunt, et qui luxuriae, malorum irritamento, inserviunt, huic morbo maxime sunt obnoxii.

[e] Homines obesi mariscis externis quam internis saepius laborant, quia, propter adipem circumjacentem, cutis vasa

[a] Forrestus de ani affect.

[b] Swiet. Comment. in Aphorism. Boerh. 963.

[c] Ibid.

[e] Praelect. celeb. Monro.

vaſa conſtringere nequit. In aliis etiam corporis partibus, vaſis ſubter cutem adipe compreſſis, vis ſanguinis major ſolita ad partes interiores fluit. Obeſi praeterea, quibus opera ſedentaria eſt, vel qui otio peſtifero indulgent, venis compreſſionem, arteriis ignotam, ſubeuntibus hujus morbi impetum accelerant [a]. Viris etiam qui, olim ſtrenui atque laboribus adſueti, fiunt ignavi [b]; atque mulieribus, quae menſium obſtructione laborant, haemorrhois ſaepe obvenit: Haec quoque affectio nonnunquam menſium locum ſupplet [c]; interdum etiam menſibus ſecundum conſuetudinem effluentibus, ingruit etiam haemorrhois periodica; legibus autem nullis tenetur, ut docet celeberrimus Monro.

[d] Viros ſaepius quam foeminas in hunc morbum incidere multis perſuaſum eſt: Ratio tamen ac uſus huic opinioni adverſantur. Mulieres pudore affectae de morbo tacent, nec opem a medicis, niſi imminente periculo, petunt.

[e] Haemorrhois hominibus qui prima juventute epiſtaxi, haemoptyſi, haemorrhagiiſque aliis laboravere, ſaepius obvenit. Inter hypochondriacos etiam haud raro videnda eſt. Nunquam fere aliquem ante aetatem mediam invadit; in ſenectute ſaepe ceſſat; nonnunquam autem ſi in prima juventute morbus aggreſſus fuerit, vel ſi a corporis habitu haereditariam originem traxerit, ad nonageſimum

[a] Hoffman. vol. 4. ſect. 2. cap. 9.

[b] Juncker. Heiſter. Platerus. Praxeos. lib. 4. cap. 14.

[c] Forreſtus —Van Swiet. de morbis virginum.—Hippocrat. in Coac. lib. 4. epid. cap. 20.

[d] Cullen. celeb. ſe contrarium obſervaſſe ait.

[e] Idem.

gesimum etiam annum, senex ne quidem morbi expers est[a].

DE CAUSA PROXIMA.

Hac de causa, auctores, summa fide digni, multum inter se discrepant. Nonnulli enim, tumores illos venarum ani varices tantum, pro certo habuerunt[b].

Ex incisionibus apparet, vasa anum circumjacentia dilatationem magnam nonnunquam subire, [c] et verisimillimum est vasa, ante rumpantur, dilatationem quandam semper pati; nisi cum nisus repentinus in causa sit. Anatomiae autem Professor hac in academia jure celeberrimus, satis ostendit, nunquam e venae portarum vasis fluorem provenire posse. Ex documentis enim minime dubitandis satis constare demonstrat, vasa de quibus sanguis profluit ab arteria pudenda communi devenire, et ad venam cavam ab recti extremo sanguinem recurrere. Fluorem igitur provenire vel ab arteriis ruptis, vel ab vasis exhalantibus dilatatis, necesse est.

Causa proxima igitur est, congestio sanguinis in partis affectae vasis quae iis stimulo est, atque actionem eorum adauget. Exinde fit, ut sanguis in telam cellulosam, per anastomoses vel rupturam effundatur.

[a] Praelect. Cullen. celeb.

[b] Morgagni.—Boerh —Walaeus.

[c] Celeb. Monro. Praelect.

DE CAUSIS OCCASIONALIBUS.

In duo capita diſtribuendis.

I. Quicquid ſanguinis recurſum ad cor impedit.

II. Quicquid ſanguinis momentum vel toto corpore, vel loco affecto, adauget.

Primo. Quicquid ſanguinis recurſum ad cor impedit. Faeces induratae intra rectum dilatationem minime aequalem, et partium irritationem non parvam, efficiunt. Nixus inſuper, quo faeces dejiciuntur, acrem concitat actionem muſculorum abdominalium et diaphragmatis; quo fit, ut ſanguinis venoſi refluxus impeditur, dum impetus per arterias augetur; faeces induratae praeterea ani ſphincterum irritant, nec mirari debemus morbum, hac de cauſa, originem ſaepiſſime ducere.

De tempore quo faeces retentae morbum gignunt, nihil certi affirmare poſſumus. Nonnulli enim, abſque incommodo, per hebdomadam alvum non dejiciunt, immo vero, ſi ſcriptoribus fides adhibenda ſit[b], totos per menſes interdum faeces retinent. Ex conſuetudine igitur, quae uniuſcujuſque eſt, ſolummodo conjicere poſſumus.

2do, Graviditas.—Uterus gravidus, venas iliacas comprimendo, ſanguinis refluxui obſiſtit, et exinde venae intumeſcunt.

[a] Praelect. celeb. Cullen.

[b] Morgagni de cauſis et ſedibus.

mefcunt. Hinc etiam fit arteriarum diftentus, qui, actione earum adaucta, rupturam efficit. Mulieres perpaucae, dum ventrem ferunt, haemorrhoidibus omnino carent; praefertim fi antea morbo fuere obnoxiae. Vomitus etiam qui gravidas faepius premit, non modo fanguinis impetum adauget, verum motum inteftinorum periftalticum invertit, unde alvus adftringitur. Fluor modicus autem gravidis faepe commodo eft.

3*tio*, Scirrhus hepatis.—Morgagnus refert, quendam affectione haemorrhoidali, quae certis intervallis redibat, laboraffe; cujus poft mortem, vena haemorrhoidalis ad craffitudinem pollicis, et ad extremum coli, et per totum rectum, creviffe inveniebatur. In Adverfariis quoque traditur, hominem, morbo hypochondriaco, ex haemorrhoide male fuppreffa, afflictum dolore et gravitate capitis, atque vertigine faepe iterata, laboraffe. Cum manus medici praeterea abdomini ad coftas nothas imponeretur, pulfatio fefe percipiendam praebuit. Ægrum etiam oppreffit dolor intra abdomen acerrimus, atque timor indomitus, quo fibi mortem inftare perfuafum eft. Superveniebat febris continua, convulfiones, delirium, aliaque horrenda, quibus lethi neceffitas gradum corripuit. Corpore incifo, reperiebatur jecur tumidum et fcirrhofum, vena portarum magnitudine inufitata, ita ut inteftina aequipararet, atque fplen fupra modum tumens.

Ex his multifque aliis quae proferre nec libet, nec opus eft, fatis conftat, hepar fcirrho affectum, haemorrhoidis interdum caufam effe; fed quoniam a vafis, quae ad venam portarum funt, profluvium nunquam oriri poteft, abunde patet, fcirrhum haemorrhoidem nullo alio modo

inducere

inducere posse, quam sanguinis impetum alias partes versus adaugendo[a]. Jecoris scirrhosi etiam haemorrhoidem non semper comitem adesse, ex multis exemplis apparet.

[b] *4to*, A pancreatis, lienis, et omenti scirrho, morbus, de quo tractamus, originem nonnunquam ducit.

[c] De quodam traditur, haemoptysi, haematemesique, propter haemorrhoidis suppressionem, correpto, cujus splen, post mortem, inveniebatur tumidus ac flaccidus. De altero etiam traditur, qui postquam haemorrhoide annum laborasset fluore immodico mortuus est, cujus splen ac jecur scirrho erant adfecta.

Secundo. Quicquid sanguinis momentum vel in corpore toto, vel in loco affecto, adauget, haemorrhoidi incitamentum adhibet.

[d] *1mo*, Animi motus violenti, ira praecipue timorque.

Ira fervente, cordis arteriarumque actio adaucta est; respiratio frequens et difficilis fit; vultus rubore perfunditur, oculi scintillant; arteriae temporales saltitant; vires extra modum crescunt; turbantur etiam functiones animales atque vitales. Haec omnia sanguinem commotum, atque vim nervosam adauctam, demonstrant.

In adolescentia, circulatio ad partes superiores major fit, quae epistaxeos causa est. In aetate autem provectiore, circulatio ad partes inferiores tendit; exinde menorrhagia haemorrhoidesque, non modo ab sanguinis impetu adaucto,

a Monro praelect.—Bonnet. sepulchret.

b De Haen. tom. 97. sect. 21.—Baaderus.

c Miscelian. curios.

d Hoffman. sect. 1. cap. 4.

adaucto, verum etiam ab inteſtinorum ſtomachique inflammatione, ſtricturiſque ſpaſticis ex ira effraenata genitis.

[a] 2*do*, Timor.—Gignitur vel ſupprimitur haemorrhagia, ut medicis notum eſt, prout timor urget. Impetus electricus, porro, in ammenorrhoea plurimum aegrotae profuit, impetum ferre perhorrenti.

Exercitatione crebra et immodica, et actione muſculorum acri, ſanguinis curſus in vaſis inter muſculos ſitis impeditur; et exinde fit determinatio ad partes internas, ut ab anhelitu, exercitationis immodicae comite, ſatis conſtat. Inter exercitationes quae hujus morbi ſaepiſſime cauſae ſunt, equitatio vehemens atque ſaltatio primum locum tenent; hujus rei ratio in aprico eſt; nam, his exercitationibus, affectionis locus frictionem non parvam patitur, qua ſanguinis momentum ſemper augetur. Menorrhagiam praeterea ſaltatio ſaepe gignit.

Potus generoſior non modo actione proxima, verum etiam ventriculi et ductus alimentarii debilitate, haemorrhoidi ſtimulum adhibet.

Medicamenta cathartica draſtica.—Inter haec aloë praeſertim, in humani corporis liquoribus parum ſolubilis, morbum ſaepe producit in recti extremo, ubi vis maxime valet.

Quaedam ventriculi affectiones (teſte celeberrimo Culleno,) hunc morbum interdum producunt. Poſtquam morbus haemorrhoidalis inveteraſſet, inter ventriculum et inteſtinum rectum fit conſenſus, dehinc ventriculi affectiones haemorrhoidem excitant; et haemorrhois ventriculi affectiones,

[a] Praelect. celeb. Young. Art. Obſtet. Profeſſ.

affectiones, propter hunc consensum; praeterea arthritis, a ventriculo ad recti extremum, nonnunquam transit.

Morbus etiam in sede sibi propria vim solummodo exercet, et, haud raro, ab intestini recti atonia, originem trahit.

DE MORBIS QUI EX HÆMORRHOIDE MALE SUPPRESSA ORIUNTUR.

Varii atque perniciosi morbi, ex fluore haemorrhoidali male suppressa originem duxerunt. Nonnullorum mentionem facere haud abs re erit. Operae pretium est enim exquirere, utrum fluxus suppressio magis prosit quam obsit. Medicus certe in culpa sit fluxum subito supprimens, consuetudine corporis sanitati accommodatum, nec plethoram morbi causam imminuens.

Apoplexia [a].—Postquam fluor haemorrhoidalis diu profluxit, atque subito suppressus est, aetate praesertim provecta, apoplexia saepe supervenit. Hi vero, qui fluore haemorrhoidali certis intervallis laborant, apoplexia rarissime corripiuntur [b]; atque haemorrhoidem redeuntem apoplexia interdum solvit.

[c] Arthritis atque haemorrhois aegrum saepe vicissim invadunt; [d] et, illa valente, haec interdum cessat; cum medicamenta

[a] Praelect. celeb. Cullen.

[b] Boerh. sect. 10.

[c] Praelect. Cullen.—Juncker.—Sydenham de Podagra.

[d] Forrestus.

medicamenta calida et ſudorifica, ad haemorrhoidis curationem ſunt adhibita, in arthritidem ſaepe abit; et cum fomenta calida arthritidi adhibentur, haemorrhois ſaepe ſupervenit.

Cyſtirrhoea.—Vaſa, ad inferiorem inteſtini recti partem pertinentia, cum veſicae vaſis ita conjunguntur, ut uniuſcujuſque partis affectio ad alteram communicatur; nec dictu interdum facile eſt, utrum in ano, an in veſica, ſita ſit affectio. Ex dictis igitur pateat, molimine haemorrhagico manente, ſanguinis momentum veſicam verſus augeri, cum fluxus haemorrhoidalis ſubito ſupprimitur; et exinde oriuntur ſtranguria, urina mucoſa, atque dyſuria. Haec ratiocinatio re confirmata eſt.

[a] Homo quadraginta circiter annos natus, qui vitam actuoſam pro ſedentaria commutaverat, haemorrhoide correptus; fluxum medicamentis aſtringentibus ſuppreſſit. Poſt ſuppreſſionem, urinam ſanguine tinctam cito reddidit; poſt menſem exactum, morbus redire ſolitus eſt; ſed, fluore intermiſſo, praecordiorum angore, anorexia, et lumborum dolore, oppreſſus fuit. Remediis multis fruſtra tentatis, veſicae inflammatio acris, fervor ac dolor circa pubem, mingendi difficultas, quibus omnibus febris deliriumque erant comites, aegrum invaſere. Corpore, poſt mortem, inciſo, veſica inflammatione gangraenaque adfecta inſpicientibus ſeſe obviam dedit.

Duo alii homines qui haemorrhoide diu laboraverant, profluvium etiam incaute repreſſerunt, atque eadem ſymptomata edidere; haemorrhoide vero revertente, evanuerunt.

Hypo-

[a] Juncker. Hoffman. lib. 4. p 479.

Hypochondriaſi laborantes, ut ſupra dictum eſt, maxime ſunt huic morbo obnoxii; qui ſaepe lenimentum non minimum iis adfert. In viſceribus hypochondriacorum abdominalibus ſanguis, forſitan ex animo depreſſo, languide et inaequaliter permeat, atque ibi congeſtiones facillime fiunt.

Cum res ita ſit, fluorem haemorrhoidalem iis plurimum prodeſſe, neceſſe eſt; nec multum forte errabant veteres, qui hirudines ad anum appoſuerunt; ſed, quum haemorrhagia omnis ſuum gignit reditum alia, quaedam evacuatio, alvo praeſertim ſoluta, tentanda eſt. Nonnunquam autem fluor haemorrhoidalis hypochondriaſi nihil commodi adfert [a].

Nephritis ſaepe etiam ab haemorrhoide ſublevatur; pleuritis ſimiliter, omniſque morbus, qui ex corporis phlogiſtica diatheſi pendet.

Symptomatum ratione, morbi hiſtoria et diagnoſi, cauſiſque occaſionalibus ita expoſitis, de medendi methodo nunc paucis diſſerendum eſt.

DE MEDENDI METHODO.

[b] Multi hujus morbi curationi adverſantur, quem ſalutiferum omnino exiſtimant, atque alios quoſdam morbos prohi-

[a] Baglivius in Praxi, lib. 1. p. 140.—Hoffman. de malo hypochond. cap. 4 —Sennertus.

[b] Macbride—Juncker—Hoffman—et multi alii.

prohibentem[a]. Fluorem immodicum, qui aegroto semper discrimini est, coercent; sin vero sanguinis vis modica est, profluvium ex omnibus tumoribus reprimere nolunt; ne aliquid mali exinde aegroto eveniat[b]. Aliis autem placet, simul ac molimen haemorrhagicum appareat, morbum praevenire; si vero sanguis profluere inceperit, fluorem reprimi prorsus dehortantur: Sed nihil ad rem attinet, quoniam ratio medendi in utroque eventu eadem sit. Satis vero constat, plurimos morborum, qui, ab haemorrhoide suppressa, oriri dicuntur, curationi incaute festinatae originem debere. Fluxus enim ex usu corporis sanitati necessarius, et gradatim est reprimendus; cum debilitas periculosa, cachexia, vel hydrops, ex sanguine amisso, superveniebat, sero remedium adhibebant. Medendi ratio priscis ac nostris temporibus, omnino diversa fuit.

Non sine causa adfirmat [c] Professor, in hac Academia, egregius, eadem ulcerum, fonticulorumque sanationi, ac morbi hujus obstare: Membro enim amputato, fit plethora; sed victu modico, alvoque soluta, cito abit. Natura enim sibi consulens, atque nil inepte moliens, laborem inutilem atque nimium recusat. Certis temporibus, sanguinem mittere assueti; iis tempestatibus, plethora laborant, non vero adfirmandum est venaesectionem temporibus constitutis valetudini prodesse. Ea aetate cum menses fluere desiere, corpus muliebre plethora valet; victu vero modico, catharticis lenibus, cito cessit.

[a] Hippocrat. sect. 6. aph. 12.—Celsus, lib. 4. cap. 18.—Hoffman. lib. 2. cap. 8.

[b] Juncker.

[c] Dr Monro.

Ex ſupra dictis conſtare videtur, morbo aggredienti omnibus modis obviam eundum eſſe ; atque poſteaquam aetate valuit, lenibus remediis curari poſſe. Si vero aegrotus aetate provectus ſit, corporis habitus mutationem pati nequit, niſi maximo cum periculo.

Supervacaneum foret dicere, cauſas remotas, ſi conſtent, eſſe amovendas.

Haec, ſicuti aliae haemorrhagiae, certis intervallis interdum redit, morbuſque imminens praenoſcitur. Tunc, ne erumpat, praecavere medicum oportet, ſanguinem e brachio copioſe emittendo, victu modico, catharticis lenibus, aëre frigido, ſituque proſtrato.

MEDENDI METHODUS,

In capita ſequentia dividi poteſt.

I. Cum tumores extra anum fiunt.

1*mo*, Inflammatio eſt imminuenda.

2*do*, Sanguinis fluxus promovendus eſt.

3*tio*, Mariſcae ſunt amovendae.

II. Nullo tumore apparente ſanguis ex ano ſtillat.

1*mo*, Momentum ſanguinis per totum corpus eſt imminuendum.

2*do*, Sanguinis impetus, locum affectum verſus, eſt minuendus.

3*tio*, Renixus cutis eſt augendus, ne ſanguis extra modum fluat.

4*to*, Ne morbus redeat cavendum eſt.

I. Cum tumores extra anum fiunt, inflammatio eft imminuenda.—1*mo*, Hujus rei gratia, praeter methodos fupra dictas, cataplafmata emollientia tumoribus applicanda funt. Quum autem ifta cutem teneram reddunt, nec fine labore ad locum adhibentur, rarius in ufum venere. Ad inflammationem levandam plurimum valebit folutio facchari Saturni, ad fcrupulos duos in una aquae libra diluta: Si plus facchari adhibetur, ftimulus fiet, atque inflammatio augebitur.

Quoniam pruritus ingratus hunc morbum faepe comitatur, qui, fanguinis impetum ad partes adfectas, adauget, applicatio amyli, vel alumine ufto permifti, vel aluminis in aqua foluti, pruritum leviorem faepe reddidit; profuit etiam opium irritabilitatem minuendo; unguentum Saturni atque fomentatio ex infufione hyofciami. Omni autem alio remedio fruftra tentato, hirudines ad partes applicatae dolorem abftulere.

Marifcis cum internis laboratum eft, olei enemata, antequam alvum dejectum itum eft, plurimum profuere. Tubercula extra anum protrufa, adipe quovis unguendo, eorum reductio fit facilior. Interdum autem anus ita adftrictus eft, ut fiftula vix inferi poteft. Fiftula parva argentea, inteftino gallinae induta, apte adhibebitur. Faeces ne indurefcant catharticis lenibus, ante omnia, praecavendum eft.

Tenefmo, una cum ifchuria, urgente, celeberrimus Pot dixit, enema ex amylo cum opio, poft alvum folutam, fuam fpem nunquam fefelliffe.

2*do*, Sanguinis fluxus promovendus eft.

Ut fanguis fluit fcalpello uti chirurgum oportet. Cum vero nonnulli hoc tentare nolunt nifi fumma urget necef-

ſitas, cataplaſmata emolientia applicanda ſunt; proſunt etiam fomenta calida.

3tio, Mariſcae ſunt amovendae.

Ligatura hae recte amovendae ſunt. Sed chirurgorum eſt rationem operationis hujus tradere.

II. Nullo tumore apparente ſanguis ex ano ſtillat.

1mo, Momentum ſanguinis, per totum corpus, eſt minuendum.

Cum fluor modicus eſt, nihilo amplius ad hoc perficiendum opus erit, quam victu tenui et facile coquendo, atque alvo ſaepe citata. Multi flores ſulphuris remedium praevalidum arbitrantur. Et mihi, experto, licet credere, maximum inde commodum ortum fuiſſe. Oleum ricini, ſi modo non rancidum ſit, optimum remedium habendum eſt. Et ſales neutri, generis cujuſcunque, praeſertim ſal nitri, non parvum profuere. Sed omnium aliorum praeſtantiſſimum videtur balſamum copiave, teſte Culleno celeberrimo.

Quum vero remediis lenioribus morbus non cedit, ſanguinem, e brachio, copioſe emitti neceſſe erit; ſanguis vero e largiore vulnere ſemper mittendus eſt, quo animi deliquium inducatur; ſed ne nimium ſanguinis mittatur cavendum eſt, ne mors, ſubito, aegrum corripiat. Frigus etiam mediocre inprimis neceſſarium eſt; omneſque animi motus, majores ſolito, vitandi ſunt.

2do, Sanguinis impetus, locum affectum verſus, eſt minuendus.

Ut hoc fiat aquae frigidae magnam vim haurire prodeſt [a]; quae, in ſtomachum recepta, vim ſedativam gig-

nit;

[a] Praelect. celeb. Greg. ſen.

nit; sanguinis cursum, corporis superficiem versus, dirigit; diaphoresin efficit; atque sanguinis motum aequabiliorem reddit. Cavendum autem est, ne partes sint inflammatae, aliter multum nocere possit; Doveri pulvis idem efficit: Et quoniam intestinorum spasmi, hoc in morbo, frequentissimi sunt, vitriolicus aether [a] nec non vesicatoria, multum prodesse possunt.

3tio, Renixus cutis est augendus, ne sanguis extra modum fluat.

Varia medicamenta astringentia hujus rei causa adhibita sunt, quae, propter adhibendi methodum, ne quidem innoxia fuere; cum autem caute et opportune adhibentur, maximum ex iis commodum expectare licet.

Perpaucae guttae vitrioli elixir in aquae fontis cyatho saepe prosunt: Cortex Peruvianus etiam, et alumen, parvulis dosibus, majores enim alvum cient, perutilia erunt. Multum etiam expediet gummi kino dare. Praeparationes chalybis in usum etiam venere.

Cum, ex sanguine amisso, magna fit debilitas, clarissimus [b] chirurgus ovis intestinum ad extremitatem vinctum in anum introducere suadet. Hujus ope aqua frigida injicienda est, quae ibi retenta fluxum saepissime sistit.

His remediis frustra tentatis, ad Saturni praeparationes, quasi, in rebus dubiis, unicam spem confugiendum est; istae omnium multo efficacissimae sunt; sed quoniam nunquam incaute, raro semper adhibendae sunt. [c] Egregius quidem in hac Academia Professor, cujus ingenii vim nunquam satis mirari possumus, adfirmat, Saturnum,

motus

[a] Hoffman.

[b] Mr Bell.

[c] Dr Black.

motus vitales in corpore humano imminuendo, effectum proferre. Quoniam haemorrhagiae faepe ab aucta actione vaforum in parte affecta, originem ducunt, igitur medicamentorum aftringentium Saturnus, ab illo, habetur potentiffimus.

4to, Morbus ne redeat cavendum eft.

Ad morbi reditum prohibendum multum valet exercitatio modica, quae perfpirationi favet, corpus conftringit, ac plethorae inimica eft.

Prodeft etiam indufium laneum, quo perfpiratio fit aequalior, et aegrotus, contra mutationes coeli, munitur. Equitatio etiam, nifi vehementior, magno commodo eft.

Cortex Peruvianus infuper, dum morbus abfit, fumma cum utilitate adhiberi poteft.

Frigidum balneum etiam cuti ftimulus et perfpirationis majoris folita nequaquam fpernendum eft. Ex confenfu etiam inter partes externas ftomachumque concoctioni favet, debilitatem et mobilitatem praevenit, fordes abluit, tonumque corporis adauget.

Haemorrhois alba ab exhalantium dilatatione provenit; rarius de hoc morbo tractatum eft, quia nihil fere incommodi inde exoritur. Catharticis lenioribus optime curari poteft.

Inteftinum prolapfum quamprimum reponi debet. Partes poftea, medicamentis aftringentibus, firmandae funt; infufione praefertim gallarum, cui additur opium, qua mobilitas imminuitur, et quae, tefte celeberrimo Bell, faepe multum profuit.

Si, ab ventriculo affecto, originem morbus trahit, iifdem remediis, quibus ad tonum ejus reftituendum utimur, curandus eft.

F I N I S.